



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 3. Suntné in Trinitate tres perfectiones Relativæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

OBJICIT 7. Idem. Relationes divinæ sunt realiter, & identicè ens necessarium absolutè & simpliciter; sed non ratione sui; necessarium enim simpliciter, ut ait D. Thom. est quod ex natura sua, est determinatum ad esse: Sic Deus est ens necessarium simpliciter, natura enim divina est illa duntaxat, de cuius ratione est esse, hoc est, de cuius ratione est, cur cognitio ipsius propria, sit ejusdem cognitio intuitiva apud omnem intellectum; implicat enim cognoscere Deum per cognitionem propriam, quæ simul & semel realiter & virtualiter non sit visio, & intuitio: Cætera omnia quæ non sunt Deus, possunt cognosci ab aliquo intellectu per cognitionem propriam abstractivam; sic essentia rerum creaturarum cognita à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ ratione sui non denominant Deum intuentem, seu scientem scientiæ visionis &c. Cum autem relationes divinæ secundum se & ratione sui, nec habeant, nec habere possint intelligibilitatem propriam, sed solum communem & intrinsicam, nempe essentiam divinam; sequitur quod neque ratione sui sint existentes, neque ratione sui ens simpliciter, sed solum ratione essentia.

RESPONDETUR ex pluribus principiis huic argum. in primis, nomine entis simpliciter venit appropriatè ipsa Deitas formalissimè. Transeat ergo quod personalitates non sint formalissimè ens simpliciter, cur adhuc non erunt ens? Deinde hæc formalitas, quod de ratione naturæ divinæ sit esse, non recte per hoc explicatur; quia cognitio illius propria, est ejusdem cognitio intuitiva apud omnem intellectum; nam esse, per solum modum noscendi sui, non rectè explicatur. Insuper confundit notitiam visionis cum notitia intuitiva, de quarum distinctione alibi actum. Sed omnibus his manumissis, negatur, quod relationes divinæ non habeant propriam intelligentiam; cum etiam divinitus videri possint sine essentia. Quod autem nos in præfenti vita differentiam illarum exactè non attingamus, non oritur id ex defectu objecti; sed ex defectu nostri intellectus.

Punctum Difficultatis 3.

Suntne in Trinitate tres perfectiones relativæ?

Ultima Objectio contra dictam conclusionem, hæc est; Si unaquæque persona diceret perfectionem, darentur tres perfectiones relativæ, adeoque & tres perfecti relativè, consequenter darentur etiam tres omnipotentes relativè &c. Hæ ipsæ tres perfectiones relativæ essent existentes; Ergo darentur & tres existentia relativæ; Si dabuntur tres existentia relativæ, dabuntur tres essentia relativæ; consequenter tres deitates relativæ, adeoque tres dii relativæ. Quod si concedas unamquamque per-

sonam esse perfectam relativè, & non esse tres perfectiones relativæ, qui unum, & unum, & unum perfectum, non faciet tres perfectos, & tres perfectiones? Ex resolutione hujus difficultatis satisfiet imprimis titulo, si tunc in Trinitate tres perfectiones relativæ? Itemque de aliis perfectionibus divinis, quid sit dicendum, colligetur.

RESPONDENT I. aliqui. Dari tres deos relativos, eò quod essentia & existentia non distinguantur, nec essentia à Deitate, consequenter datis tribus existentis relativis, dari tres essentias, & his concessis, tres deitates, ut dixi relativæ.

CONTRA est. Tum quia id satis insuetum, & inusitatum est dicere, idque in re fidem concernente, exceptisque fortè nonnisi duobus, nullus in terminis hanc propositionem admittit. Meminit quidem Ecclesia in suis hymnis, trinæ Deitatis, sed ly *trina*, supponit pro personis non pro Deitate; & ob metrum nonnisi ponitur.

Quod autem dicitur secluso scandalo id dici posse, nemo minus scandalizatur viris doctis; & tamen passim hanc phrasin averfantur. Doctus erat Greg. Nazianz. solus inter Doctores Theologus dictus, qui Tract. de Fide, sic ait; *Patrem & Filium catholicè nominamus; duos autem deos dicere nec possumus, nec debemus*: Possemus autem per oppositos, secluso scandalo. Et cum difficultibus argumentis Arianorum responderent PP. obviumque fuisset ad illos contentandos, tres deitates relativæ admittere; non sunt id ausi usquam PP. Et hoc est Arg. ab Auctoritate. Tum quia si dantur tres deitates relativæ, dabuntur tres esseitates relativæ, tres essentia infinitæ in genere essentia relativæ; hoc autem dici non potest, quia si est absurdum concedere tres essentias absolutas, sed ita connexas, ut non possit intelligere, velle, facere una, quin faciat alia, etiam absurdum erit tres deitates relativæ admittere: Er quid tandem ista vox, *Absolutum*, plus habet, ut si concedantur tres deitates, ut describuntur, absolutæ, hoc ipso incidatur in Polytheismum, & non incidatur si sint deitates relativæ? Quid diminuit iste terminus relativæ, solvendum restabit; cum nihil minus sit, in hac concessione præter hujus termini *absolutum* negationem. Tum quia si dantur tres deitates relativæ, videtur concedi totum, quod intendunt Arianæ; quia ipsi in primis nihil disputabant de triplicitate deorum absolutorum; sed urgebant, si Pater, Filius, Spiritus S. sunt Deus, in ratione Patris, in ratione Filii, in ratione Spiritus, quæ formalitates sunt relativæ, fore deos quodammodo relativos tres. Tum quia si concedantur tres deitates relativæ, non poterit demonstrari unitas Dei absoluta, ut tentanti apparebit; recurreturque ad hoc in solutione, quod si non repugnet triplicitas, Deitatis relativæ, nec sit repugnatura triplicitas, Deitatis abso-

absoluta. Tum quia dantur aliqui termini, quibus non potest aptari ratio respectivi, qualis est terminus ipse absolutum, terminus item homo, &c. non apparet enim qui dici possit, homo relative; Ergo possibile est inveniri similem formalitatem in Deo irrefringibilem per formalitatem relativi; hæc autem non alia erit commo-
dior, quam ipsa Deitas.

RESPONDET 2. Vsq. supra cit. c. 4. qui eum concessisset, quod Relatio perfectionem importet, negat dici posse quod dentur tres perfectiones: cui accessit Ruiz d. 30. à Sect. 2. Pro cuius responsione

RATIO in primis est, quia si darentur tres perfectiones relative, darentur etiam, ut concedunt oppositi, tres perfecti relative, adeoque & tres omnipotentes relative, tres aterni relative &c. quod est in primis contra Athan. qui universaliter dicit, *non tres esse omnipotentes, sed unam, & Damasc. l. i. Fidei c. ii. una bonitas, una virtus, non tres ad invicem similes.* Notabile est & Aug. locus 5. de Trin. c. 8. *Bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus Sanctus, nec tres boni, sed unus est bonus:* Quæ Auctoritates in primis probantur, quia ita simplicius verba PP. accipiuntur, quæ Oppositi non nisi restrictè accipiunt, nempe quod non sint tres omnipotentes absolute, sed relative. Deinde quia August. videtur excludere tres bonos etiam relative, quia si voluisset excludere tres bonos absolute, vel bonitates absolute, dixisset nec tria bona, sed unus est bonus: Dixit autem adjectivè, adque ut illi volunt, relative, non tres sunt boni, sed unus est bonus.

RATIO 2. pro eadem responsione est: Quia non datur pluriplurificatio in Divinis, in quibus non datur oppositio producentis & producti, ut constat ex cit. auctor. sed in præciso conceptu perfecti, quæ perfectum est, non datur oppositio producentis & producti; in illo enim præciso conceptu, non datur oppositio producentis & producti, quod ex vi sua significandi, & ex objectiva sua ratione, non dicit productivitatem, nec producibilitatem; nihil autem horum dicitur ex sua objectiva ratione perfectum.

RATIO denique est, quia vel distinguitur persona in sua virtualitate ab omnibus prædicatis naturæ, vel non distinguitur? Si non distinguitur ab omnibus, nulla potest regula melior ordinandi, à quibus non distinguatur, nisi hac una, quod ea non distinguantur, quæ non inferuntur ex suo conceptu notionalitatem productionis, quem ut dixi, ratio perfecti non importat; consequenter in sua virtualitate dicit quidem personam personam, sed perfectionem immultiplicabilem, in ipsa Deitate imbibitam, adeoque multiplicabilem, ut est immultiplicabilis Deitas: hæc autem distinguitur virtualiter personalitas ab omnibus prædicatis naturæ: contra erit. Tum quia nulla est necessitas ponendæ talis virtua-

lis distinctionis. Tum quia si distinguitur virtualiter paternitas ab omnibus prædicatis in natura inclusis, distinguetur etiam à prædicato v. g. increati; tunc quæro, paternitas prout distincta virtualiter à natura, estne increata? Si increata, dabuntur tres increati, immo & quatuor, propter quartum increatum absolutum. Quod si dicas, esse increatum in ratione naturæ, idem ego dicam de perfectione personæ; quod sit perfecta perfectione naturæ: Si autem non est increata; Ergo creata, quod est absurdum; licet enim aliquid in statu abstractionis, & per præcisiones nostras possit esse, neq; creatum, neque increatum; non tamen pro statu suæ virtualitatis consideratum: Hic autem accipimus paternitatem non prout subest nostris conceptibus, sed pro statu suæ virtualitatis. Quod autem dicitur de paternitate, annotaturq; de illa quomodo sumi debeat? Idem dicitur de paternitate perfectionis: Quantumvis facilius sit præscindere rationem creati, & increati, à paternitate; quam rationem perfecti; quia ratio perfecti, est ipsa formalissima ratio Entis, à qua restrictè accepta, nihil præscindit.

INSTABIS 1. contra hanc responsionem. Paternitas, ut condistinguitur à natura, adhuc est perfectio.

RESPONDETUR. Esse perfectionem, sed indistinctam virtualiter à perfectione Deitatis, quia etiam paternitas prout condistinguitur virtualiter à natura, adhuc est, & non creatum quid, & tamen est non creatum, seu à se, asseitate naturæ.

INSTABIS 2. Si paternitas in sua virtualitate spectata, est perfecta, perfectione non nisi naturæ, in eo in quo distinguitur, vel est adhuc ens entitate non naturæ, vel est ens entitate non nisi naturæ? Si secundum, Trinitas quæ talis nihil erit, quia illud quo distingui deberet, nihil est: Si autem primum dicatur, ergo habetur intentum; quia erit paternitas perfecta perfectione propria relativa.

RESPONDETUR. Quod in eo in quo distinguitur paternitas, sit ens entitate non nisi naturæ (loquor hic de entitate prout est à parte rei, & non subest nostris conceptibus.) Neq; inde sequetur, quod Trinitas quæ talis nihil sit; erit n. ens entitate divina, & illud quo distingui deberet, non erit nihil, sed ens entitate naturæ; sicut & est à se asseitate naturæ; distingueturq; realiter ratione prædicati identificati realiter nature, non quomodocunque, sed simul ratione prædicati distincti virtualiter à natura, licet indistincti virtualiter, ab omnibus prædicatis naturæ.

Nec hæc responsio aliam difficultatem habet, quam habeat ipsum Trinitatis mysterium; sicut enim in illa aliqua distinguuntur inter se naturaliter, quæ identificantur in essentia, ita distinguuntur relationes; & tamen sibi in ratione perfecti identificabuntur: Et sicut natura divi-

na prout terminata personalitate Patris non terminatur persona Filii, nec, quā terminata paternitate, communicatur; inde tamen non sequitur dari tres naturas divinas, unam prout terminatam personā Patris, aliam prout terminatam personā Filii, tertiam prout terminatam personā Spiritūs Sancti; licet unicuique competat habere naturam; sic nec dabuntur tres perfectiones relativæ.

INSTABIS 3. In creatis perfectio Petri, Pauli, Andreæ faciunt tres perfectiones; Ergo & in divinis; quia non minus distinguuntur inter se illi homines, quā personæ divinæ.

RESPONDETUR. Quod non minus distinguuntur inter se personæ divinæ in ratione relati, personæ producentis, & producti; quā distincta individua; minus tamen distinguuntur in prædicatis, quæ desumuntur ab essentia, quale prædicatum est, perfectio.

Sed videtur, quamvis defendi possit, hæc responsio, quod nihilominus difficultas aliqua adferat: Hinc planior methodo

RESPONDERI POSSET 3. Quod dentur tres perfectiones & tres perfecti; non tamen tres omnipotentes, immensi &c.

RATIO 1. Quia bene admittimus, dari tres personas, tres relationes, quantumvis non dentur tres omnipotentes; Ergo etiam dari poterunt tres perfectiones relationum; & non dari tres omnipotentes, quod ipsum in hoc fundatur: Quia ad salvandum quod sint tres personæ, est necesse admittere, quod sint tres nonnihil, adeoque quod sint tres entitates, consequenter tres perfectiones; Jam autem ad hoc ut salventur, quod sint tres personæ, quæ non sunt nihil; non est necesse admittere, tres esse omnipotentes.

RATIO 2. Quia eorum nonnisi prædicatorum multiplicatio ponenda est in divinis, quæ innectitur necessariò ipsis formalitatibus producentis & producti, quæ multiplicānt personas in divinis, faciuntq; illas differre: Sed omnipotentia, æternitas, &c. non faciunt differre; nec innectuntur formalitatibus producentis, & producti; nec requiruntur, ne illæ formalitates sint nihil; Jam autem ratio perfecti, innectitur necessariò ex rationibus allatis, ipsis formalitatibus producentis & producti; producit enim perfectum; hinc multiplicabuntur formalitates, sub ratione perfectionis.

RATIO 3. Quia ne dentur perfectiones relativæ in divinis, id maximè urget, quia deberent dari tres existentia, consequenter essentia, ac denique deitates relativæ: Sed hæc ratio non convincit, quia essentia, & existentia, non distinguuntur inter se; si proportionatè ad se accipiantur, & multiplicatio proportionatè existentia, infert proportionatè essentia multiplicationem: Certè enim præexistente Paulo, si fiat multiplicatio existentia, per existentiam Petri

non multiplicatur Paulus, quoad suam individuum essentiam; quia illa essentia, & illa existentia, non est proportionata. Ut autem advertatur, qualis existentia multiplicatio adferat essentia multiplicationem, adeoq; & Deitatis, consequenter quæ sit proportionatè existentia huic essentia, videndum erit nomen essentia dupliciter accipi; inprimis pro essentia, ut importat ipsius suppositi & personæ quidditatem, definitam obiectivam, & similia. Hæc essentia sic sumpta, multiplicatur in personis, sed inde non apparet, quæ sequatur multiplicatio Deitatis. 2. Potest sumi essentia pro natura, in quantum dicit rationem supponendæ ipsi substantia, personalitati, terminationi substantiali, &c. hoc sensu si darentur tres essentia relativæ, darentur tres deitates relativæ, adeoq; & Dei tres relativi; sed negamus sic sumptam essentiam multiplicari, multiplicatè existentia relationis.

INSTABIS 1. ex Vasq. PP. nunquam ausi sunt multiplicare nomen *Perfectio* in Divinis.

RESPONDETUR locuti sunt PP. de perfectione & bonitate, à qua distinguitur virtualiter personalitas; ea autem quam hæc responsio multiplicat, non est jam distincta virtualiter, ab ipsa persona.

INSTABIS 2. Ergo conveniet uni personæ perfectio, quæ non conveniet alteri, propter hunc expositorem; Paternitas non convenit Filio, Paternitas est perfectio; Ergo aliqua divina perfectio non convenit Filio.

RESPONDETUR. Convenit quidem una perfectio relativa uni, quæ non conveniet alteri; sed conveniunt nonnisi in absolutis; & ipsis etiam relativis, ad æquivalentiam, se æquant; quia non minus est bonum esse Patrem, quā sit bonum esse Filium, & è converso. Deinde retorquetur argum. quare scilicet sint tres relationes? Tres personæ? Nec sit absurdum, ut conveniat uni illius persona, & non conveniat alteri? Quando autem urget, ex eo Patrem non fore perfectum, quia aliquid illi deesset, nempe Filiatio, id non convincit; quia perfectum est, cui nihil deest ex debitis, Filiatio autem Paternitati non est debita.

INSTABIS 3. Ruiz, ergo saltem omnes tres perfectiones simul sumptæ dicunt aliquod majus & perfectius, quā una.

RESPONDETUR. Sicut ipsæ tres personæ in ratione personæ dicunt aliquid majus extensivè; ita & in præsentia: Equatio tota, erit penes identificationem in ipsa essentia, fonte perfectionis. Concessa autem majoritate extensivâ, non est necesse concedere majoritatem in merito cultus; præcipuè, quia cum unaquæque involvat æquivalentiam perfectionis ad reliquas duas; hinc omnes tres non dicunt plus quā una; ad eum modum, quo si unus Imperialis æquivalet tribus florenis Polonicis; non plus habebunt tres illi, quā unus Imperialis.

Adfert

Adfert adhuc Ruiz auctoritatem Aristotelis, *Phys. c. 6. textu 63. totum & perfectum pro eodem sumit; consequenter si sunt tres relationes, simul tres perfectiones, eo ipso debent esse tres entitates integræ, consequenter extra illam entitatem, nihil esset accipere pertinet ad esse, & complementum ejusdem entitatis; tresque illæ relationes essent tres essentiae adequatè diversæ; quod absurdum est, aliàs contra Athan. essent tres plenitudines Deitatis.*

RESPONDETUR esse in Deo tres entitates non pro essentia, & natura suppositabili acceptas, adeoque tres Deitates inferente: Sed esse tres entitates, hoc est tres personas, quæ non sunt nihil: Explicata est supra distinctio.

DIFFICULTAS III.

An detur Subsistentia absoluta.

Ad tres relativas subsistentias & personas, est principium Theologicum, utpote Aristotelis fidei: ceterum est controversia inter DD. Catholicos: An præter subsistentias relativas detur etiam subsistentia absoluta, communis omnibus tribus personis? Dari illam docent antiquiores cum Scoto, simul etiam Recentiores, licet hanc sententiam variè explicant. Admittit Cajet. in Deo semisuppositam & incompletam personam. Suar. hic l. 4. c. 11. in 3. p. d. 11. q. 3. admittit cum hac distinctione, quod scilicet accipiendo subsistentiam pro eo, quod facit rem existere in se & per se, sic detur subsistentia absoluta; licet non detur subsistentia, accipiendo eam pro termino substantialiter reddente incommunicabilem naturam. Docet idem Guevara, Mol. & alii. Oppositum sentit Vasq. D. 15. Ruiz d. 34. Arriaga d. 51. S. 2. Martinon. d. 66. n. 19. Petavius de Trin. l. 4. c. 12.

DICENDUM EST. *Non dari in Deitate subsistentiam absolutam.*

PROBATUR I. Auctoritate.

1. Auctoritas sit negativa, quia ut advertit Petavius, unum esse subsistens in Trinitate, nemini unquam Patrum dixit.

2. Auctoritas est, ex locis quæ favent. Primus locus est Damasceni in epistola de Trifragio: *Unum est ipsarum communis una hypostasis, Deitas autem communis est trium hypostasium, una existens.* Secundus locus est, Sophronii Patriarchæ in epistola Professionis receptæ à sexta Synodo: *Neque est sciendum, quod Trinitas unus Deus cognoscatur, & subsistentia tres, & res personæ, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dicitur contractus, vel compositus, vel confusus, & in unam seipsum colligens subsistentiam, in unamque coiens non numerabilem personam, Sabellianorum ista est præteritis: Ubi ut vides negat tres subsistentias colligi in unam.*

3. Auctoritas est, quia PP. postquam agnoverunt subsistentiam seu hypostasim à substantia, seu usiâ differre, semper agnoverunt hypostasim seu subsistentiam idem esse cum persona, consequenter si detur communis subsistentia, dari etiam communem personam; quod negant oppositi. Assumptum prob. Damascenus L. de Decretis primæ Institutionis c. 1. & 2. *Hypostasis, id est, quod per se coheret, & proponit, id est persona, figura, proprium & individuum idem efficiunt.*

Theodoretus. *Subsistentia & persona, in nullo significatorum differunt nisi nomine.* Similia habet Justinus in edicto Fidei.

Mascentius in prima professione fidei docet, apud Synodum Chalcedonensem, id ipsum esse, *subsistentiam, quod & personam.*

Boëtius l. de duabus naturis: *Peritior, inquit, Græcia sermonum, hypostasim vocat individuum subsistentiam.* Et infra. *Persona est rationalis natura individua subsistentia.*

Sexta Synodus Actione 17. definit *unam personam & subsistentiam Christi Domini.* Ergo appareat hæc pro eodem sumi. Vide Ruiz sect. 3.

RESPONDEBIS. Hic damnari errorem Sabellianorum, qui Patris, & Filii, & Spiritus Sancti docebant unam esse non nisi subsistentiam & personam.

CONTRA EST. Quia principale quidem intentum, hoc erat Patrum; nihilominus verba allata, favent nobis, quia à nobis simpliciter accipiuntur; per Oppositos cum explicatione, de relativa subsistentia. Deinde, quia nullibi minerunt PP. quod subsistentia sub aliqua formalitate non idem supponat quod persona.

PROBATUR 2. ratione, quia & haberetur effectus formalis illius subsistentiæ, & non haberetur. Haberetur quidem, quia implicat esse formam in subiecto apto, & non habere effectum formalem: Non haberetur autem, quia hic effectus, non esset idem cum effectu personæ; aliàs redderet naturam incommunicabilem, sicut reddit persona: Non etiam præstaret aliquem alium effectum; Ergo: Quod autem non præstet ullum alium, ratio est; quia si præstaret aliquem, præstaret hunc, quem assignat Suar. nempe facere rem existere per se & in se: sed hunc non præstat, quod prob. quia independentem ab omni subsistentia, ex hoc ipso, quod natura substantialis sit, hoc ipso inquam per se existit; neque enim à subsistentia accipit quod sit substantia, adeoque quod sit per se: Neque item à subsistentia accipit existentiam, cum illi supponatur; prout enim condistinguitur natura illi subsistentiæ non est adhuc nihil; Ergo habet existentiam.

Neque dicas, quod est per se existere, hoc est, non esse accidens, id de se habere subsistentiam, sed non habere per se existentiam in quantum per se existere, dicit complementum existentiae

X 3

sub=